

6. Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum: & diuidat aquas ab aquis.
7. Et fecit Deus firmamentum, diuisitque aquas, quae erant sub firmamento, ab his quae erant super firmamentum. Et factum est ita.
8. Vocauitque Deus firmamentum, Caelum: & factum est vespere & mane, dies secundus.
9. Dixit vero Deus: Congregentur aquae, quae sub caelo sunt, in locum vnum: & appareat arida. Et factum est ita.
10. Et vocauit Deus aridam, Terram, congregationesque aquarum appellauit Maria. Et vidit Deus quod esset bonum.
11. Et ait: Germinet terra herbam virentem & facientem semen, & lignum pomiferum, faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita.
12. Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum, lignumque faciens fructum, & habens vnumquodque sementem secundum speciem suam. Et vidit Deus quod esset bonum.
13. Et factum est vespere & mane, dies tertius.
14. Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento caeli, & diuidant diem ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies & annos.
15. Vt luceant in firmamento caeli, & illuminent terram. Et factum est ita.
16. Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, ut praesset diei: & luminare minus, ut praesset nocti: & stellas.
17. Et posuit eas in firmamento caeli, ut luцерent super terram.
18. Et praesent diei ac nocti, & diuiderent lucem ac tenebras. Et vidit Deus quod esset bonum.
19. Et factum est vespere, & mane dies quartus.
20. Dixit etiam Deus: Producant aquae reptile anima viuientis, & volatile super

terram sub firmamento caeli.

21. Creauitque Deus Cete grandia, & omnem animam viuentem, atque motabilem, quam produxerant aquae in species suas, & omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum.
22. Benedixitque eis, dicens: Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris: auésque multiplicentur super terram.
23. Et factum est vespere & mane, dies quintus.
24. Dixit quoque Deus: Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias terrae secundum species suas. Factumque est ita.
25. Et fecit Deus bestias terrae iuxta species suas, & iumenta, & omne reptile terrae in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum.
26. Et ait: Faciamus Hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & praesit piscibus maris, & volatilibus caeli, & bestiis, vniuersaeque terrae, omnique reptili quod mouetur in terra.
27. Et creauit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creauit illum, masculum, & feminam creauit eos.
28. Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus caeli, & vniuersis animantibus, quae mouentur super terram.
29. Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna quae habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam.
30. Et cunctis animantibus terrae, omnique volucri caeli, & vniuersis quae mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, ut habeant ad vescendum. Et factum est ita.
31. Viditque Deus cuncta quae fecerat: & erant valde bona. Et factum est vespere & mane, dies sextus.